Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

HYPERCATHARSI,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,
SVB PRÆSIDIO
GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,
HEREDITARII in Schwartza/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI,
SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,
FACVLTATIS MEDICÆ h. t. DECANI,
Patroni, ac Præceptoris sui Venerandi,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORVM, RITE CONSEQVENDI,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPOSITA
a
IOHANNE CHRISTIANO WALLICH,
SALZVNGA-THVRINGO,
MEDICO PESTIL. HAMBVRGENSI,
IN AVDITORIO MEDICO,
Horis ante- & pomeridianis consuetis,
Ad D. SEPTEMBR. MDCC XIV. 1714

IENÆ, LITTERIS KREBSIANIS,

VIRO

Magnifico, Nobilissimo Consultissimoque,

DOMINO

GARLIEB SILLEM,

I. V. L. VRBIS HAMBVRGENSIS SYNDICO GRAVISSIMO, COLLEGIIQVE SANITATIS IBIDEM PRÆSIDI INCLYTO;

NEC NON

VIRO

Nobilissimo Consultissimoque,

DOMINO

DIETERICO REIMBOLD,

I. V. D. SENATORI EIVSDEM VRBIS MERITISSIMO,

CÆTERISQVE MEMBRIS COLLEGII SANITATIS SPECTATISSIMIS,

Patronis ac Fautoribus suis nunquam non colendis,

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM EA QVA DECET SVBMISSIONE

offert

IOH. CHRISTIANVS WALLICH.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

ELeganter *diuinus Senex*, cum de fortuna medici disquirit, inter alia, prospere succedere, *inquit*, est recte facere; hoc autem qui sciunt, faciunt.

Ἐπιτυγχάνειν, est *succedere ex voto*, quod & medicus exoptat & æger, vtriusque votum desideratur conforme euentui salutare. Quando vero hunc attendimus, sæpe abludit.

Quid ergo interest? id vero, si a DEO discesseris, τοῦτο οἱ ἐπιστάμενοι ποιοῦσιν, *hoc scientes, gnari, experti faciunt*, de quibus prædicat τὸ καλῶς ποιέειν, *bene facere*, vt contra, qui male, si quis non sciat, non recte faciat.

Innuit nimirum, non ab euentu iudicandum, qui non est penes medicum, sed extra eius manum. Satis est, si recte agat & prudenter Imperator, nauarchus, aduocatus, & ad horum instar medicus.

Euentus talis ſiniſter extra culpam horum omnium verſatur, non imputandus alterutri, ſi præter illam, vt opinionem ita & culpam, ſiniſtre ceciderit. Sed nihilominus æque & maioris prudentiæ eſt, ſi mala, ſicubi euenerint, non minus dextre corrigere ſatagat, & voto ſuo potiatur, ſeruato ægro caſu peius habente.

Exemplum huius rei videndum eſt toto die in HYPERCATHARSI, qua de inpræſentiarum cum agere propoſuerimus, diuinum exoramus numen, vt id proſpere eueniat!

CAPVT I.

DE *Definitione & Subiecto.*

OPtime videmur nos acturi, ſi in hypercatharſi cognoſcenda & curanda ſequamur ſummum artis magiſtrum *Hippocratem*. Accuratiſſime enim & in hoc ſe gerit, profundiſſime rem omnem emenſus.

Enimuero notiſſimum eſt ex medicorum, & Principis maxime illorum laudati, ſcholis, *τὸ καθαίρεσθαι, purgari,* prædicari de euacuatione corporis cacochymici, neque enim de plethoricis, nec de venæſectione, ſeu depletione ſanguinis abundantis æque dictum legas.

Et quidem non de alteratione in qualitate ſola id valet, quo ſenſu notum eſt, purificantia, ſaponaria & mundifican-

ficantia potius dici, vt in fcabie & reliquis corporis fordibus defæcandis folenne eft, nec de euacuantibus fubtilioribus & delicatioribus, per fudorifera, diuretica, aliaque, fed id proprium eft ac prædicatur, receptiffimo etiam vulgi vfu, de purgantibus vel *κάτω*, *deorfum*, per aluum, vel *ἄνω* *furfum*, de vomitoriis quoque, vel feorfim, vel, quod grauius eft, coniunctim, fimultanea euacuatione & actu.

Hoc fi nouerimus, vti eft clarisfimum, facillime iam ex eo efficitur, claretque, quidnam fit ὑπερκάθαρσις, vel ὑπερκαθαίρεσθαι, quod apud *Hippocratem* non raro, hinc & *Galenum* aliosque paffim occurrit, q. d. *fuperpurgatio.* Τὸ ὑπὲρ enim innuitur agere tam intenfiue, quam extenfiue, adeoque plus vltra, *ἀμέτρως*, *immodice*, plus iufto, fortius, intenfius. Alias etiam audit eodem fenfu ὑπερίνησις, *nimia & fuperflua purgatio.*

Latius id ipfum prædicatur etiam de quacunque excretione immodica, etiam τῶν ἐμμήνων, *menfium*, vel aliarum hæmorrhagiarum, quas fuo æuo a iunioribus medicis dictas ὑπερεκκρίσεις *fuperexcretiones* refert *Galenus l.3. de comp. med. f. loc. c. 3.* Clarius adhuc & latius itidem apud *Hippocratem* audit ὑπερέμετος *fuperuomitus*, quando venulæ fanguinem circa cerebrum fupereuomunt velut ναυσιώδη, *naufea*, quadam retinere renuentes *l. 2. de morb. c. 4. t. 4.* Hæc fiquidem vox ftrictius & proprie fumpta rectiffime & optime hypercatharfin ἀνωπερικὴν, *per os feu vomitum*, exprimit.

Idem vero latius fumptum intelligi poteft de hypercatharfi vtraque, nam ita quoque diftingui poteft ac debet, fpontanea, a caufa interna, feu natura ipfa, fympto-

matica inprimis, oriunda; diſtincta ab altera, noſtræ hoc loco acceptionis, ſeu arte facta, & ſic accidentaria.

Eſt itaque hypercatharſis exceſſus purgantium ἄνω vel κάτω, vel vtrorumque, vltra εὐφορίαν, cum vrgentia, ab irritatione fermentatiua ſalino-ſulphurea propinati medicamenti producta.

GENVS eſt exceſſus, ſeu immoderatio operationis intentatæ, limitatus vltra terminum euacuationum omnium communem. Enimuero elogio *1. aphor. 24. & 25.* excreta hæc quoque inprimis non ſunt æſtimanda copia, ſed, ſi qualia oportet, exeant & facile ferat æger. Hinc non omnis copioſior viſa purgatio titulum hypercatharſeos meretur, vti notum eſt, ſæpenumero ad decem, duodecim & plures ſedes eandem peragi ac continuari, & ægrum tamen bene inde habere & leuari potius, quam notabiliter debilitari.

SVBIECTVM ex notione partium, quæ in actu purgatorio exercentur & concurrunt, elucere poteſt. PRINCIPALE eſt ventriculus & inteſtina, cum ſuo ambitu & voluminibus. Afficiuntur hæ partes, vt disſimilares, ſeu organicæ, actioni quidem hoc loco non tam primariæ, chylificationi, quam ſecundariæ, excretioni fæcum, ſeu ſcybalorum alui, & cum iis ſecernendorum, ſeu mixtorum humorum velificantes.

Liceat hic ſubiectum hoc denominationis in VT QVOD, & VT QVO diſpeſcere, illud vocando totam peripheriam, εὐρυχωρίαν ventriculi, & volumen ſeu periſtroma inteſtinorum, cum ſuis reſpectiue orificiis: hoc fibras nerueas & valuulas conniuentes, motui periſtaltico, ſeu circumpreſſorio, actui huic vacantes. Non excluſis interim

ducti-

ductibus geminis, pancreatico, choledocho ſeu biliario, ipſisque inteſtinorum glandulis, quæ omnia concurrunt & operantur.

SVBIECTVM ADÆQVATVM eſt totum corpus, ſeu vniuerſa maſſa ſanguinea, non ſolum actiue, quoad ipſos ſpiritus, qui præbent ἀρχὴν *principium* etiam huius motus, adeoque præſtant actum excretiuum; ſed etiam paſſiue, quoad læſionem hoc loco, hoc exceſſu, quoad vires corporis vniuerſi.

Prius illud euidenter probat alteratio ab aſſumpto purgante, quandoquidem vſus pulſus, vt loquuntur medici, augetur, intenditur ſanguinis motus & circulatio, calorque ſuo modo, licet tranſitorie, ipſe. Poſterius eadem, & ſenſus ipſe, non raro dolor, tormina, aliaque inter phænomena recenſenda.

CAPVT II.

De Cauſis.

CAVSA IMMEDIATA ſeu PROXIMA eadem eſt, quæ actus purgandi ſeu purgationis ipſius, quam quidem communi termino irritationis, ſeu ſtimuli citati, expreſſimus ſolum, preſſius vero nominare poſſumus elaterem ventriculi & inteſtinorum, vel ſeorſim, vel coniunctim, pro diuerſo, gradu actiuitatis citatum. Si cum Philoſophis Hermeticis loqui liceat, archeus irritatus, ad hunc actum ſcilicet determinate, dicendus fuerit; imo ſi cum antiquioribus ſapientibus, facultas expultrix irritata.

Aſt

Aſt, ne bilem forte hæc moueant ſecus hodie ſentientibus, opus videtur ex noſtrorum genuina hypotheſi id explicare rectius, &, conformiter mechanicæ, illam breuiter iam ex *Phyſiologia Acroamatica Wedeliana* recenſere. Facultas enim expultrix dicit nobis etiam hoc loco actum organicum humorum appulſorum, anomalorum, inæqualium, diſſimilium, peregrinorum, aliorumque obiectorum & particularum: inconuenientiam pororum, figurarum, tubulorum, humorum, particularum: irritationem, vellicationem, diſtenſionem ſpaſmodicam fibrarum neruearum; renitentiam ſpirituum, & elateris, ſeu archei particularis auerſationem, indignationem. Hæc omnia ſuo modo & in hoc caſu offendi, contingere, optime concipi, atque cuiuis penitius cogitanti facile patere poſſe, nec aliter ſe habere, confidimus.

Illuſtrare hæc poſſumus *Pergameni* ſententia, qui *l. 3. de ſimpl. medic. Facult. c. 27.* & *28.* hypercatharſeos tres cauſas aſſignat. Prima eſt ἡ δῆξις μᾶλλον, quæ ipſiſſima eſt cum noſtra, *irritatio* conſtans, permanens, continuata, & *producta*; altera ἀναστόμωσις, *reſeratio*, & ſimul tertia ἀῤῥωστία τῶν ἀγγείων, *debilitas vaſorum.* Prima eſt extra dubium, reliquæ facile ex dictis conciliari queunt. Confer. *Smetium Miſcell. medic. l. 3. p. 153.*

CAVSA MEDIATA PROXIMIOR eſt fermentatio humorum acido-bilioſorum & ſeroſorum, hoc loco a medicamento purgante, vel reſpectiue emetico, inducta. Hæc vt in affectibus ſororiantibus ac affinibus negari non poteſt, diarrhœa, dyſenteria, cholera, qui reuera nihil aliud ſunt, quam, per mechanicam, purgatio, hypercatharſis, ἄνω per vomitum, vel κάτω per ſedem, ſpontanea;

taneaj

tanea; ita hæc noſtra per artem illata, ſeu ſimultanea, eodem die, ſeu diſcreta, ſolo exceſſu accedente.

Et hoc quidem per ſe, cauſa poſitiua, & vniuoca, æquali effectu cum cauſa ſua, accidit, & ordinarie locum inuenit, quorſum referri hinc debent, quæcunque etiam remotius paulo huc faciunt, ſimilem quidem ſtimulum inferre apta nata. Referri hoc nomine merentur etiam CAVSÆ REMOTIORES iuuantes, diſponentes, & concurrentes aliæ ſimiles, v. g. ex cauſis communibus, naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus.

Ex NATVRALIBVS faciunt huc diſpoſitio hæreditaria & ἰδιοσυγκρασία. Notisſimum enim eſt, alios facilius, alios ægrius & difficilius a purgantibus moueri; non minus item ponendum, quotiescunque inter agens & patiens, purgans medicamentum, & purgandum corpus, occurrit quædam improportio, toties modo effectum purgantis medicamenti nullum conſequi omnino, ἐποχὴν vocant Græci, vel exceſſiuum, quæ ipſisſima eſt hypercatharſis.

Videas hinc quosdam eſſe facillime mobiles, ob ſtimulum domeſticum, ita vt a leuiculo extraneo operatio ſequatur excesſiua. Ciuis quidam, tornarius, cuius parens, ſimilis naturæ & diſpoſitionis, a purgante ſumpto triginta ſex ſedibus exhauſtus mortuus fuerat, tam facile mobilis erat, vt ab IIX. granis rhabarbari electi decem vel duodecim ſedes experiretur.

Mira ſane in hoc eſt ſubiectorum varietas, tum ratione totius, tum certarum partium. Qui ventriculum habent, vt loqui ſolemus, papyraceum, facillime patiuntur hypercatharſin, vtriusque generis. Rarioris texturæ corpora facile læduntur & exſoluuntur. Legati Ducalis

filia X. annorum a purgante adeo fatigata fuerat, vt vix per annum vires recuperaret, ariduram infignem inde passa.

Idem fit ab humorum vitioforum copia, & qualitate: & hic enim quantitas & qualitas eorundem ad motum fortiorem exftimulant. Maxime vero acrimonia acido-biliofa-ferofa, inprimis fcorbutica, plurimum huc confert. Et huius commatis temperamenta difponunt & ad hypercatharfin facile inclinant.

Inuitat TEMPVS ANNI ipfum; ita notum eft nonnunquam fieri diarrhœas, vere & autumno, fpontaneas, quibus inftantibus fi forte accedat purgans, facile ex critica vel quafi futura accidere poteft fymptomatica, feu cum læfione. Tempore dierum canicularium, fub fyrio affignatæ purgationes ἐργώδεις, etiam tales non infrequentes obferuatæ, quibus alias & dyfenteriæ magis folennes eueniunt.

Qui Aftrologorum attendunt regulas, notant facilius fieri excretiones has medicas luna exiftente in fignis humidioribus, in coitione cum fole, in plenilunio: ne dicamus de afpectibus finiftris Saturni, Martis, Mercurii, imo & in ecclipfibus luminaris alterutrius.

Nec ÆTAS indicta relinquenda, infantilis & fenilis cumprimis. Vifi funt fenes vtriusque fexus prouectioris ætatis, etiam hydropici fimul, nonnunquam fortius purgati, ob ferum vappefcens acrius.

AER vt alterat etiam in his talibus corpora noftra in genere, ita feorfim circa diem hunc illum, quo purgantia affumuntur, mirum quantum id exerit. Vifa funt nudipedalia citaffe diarrhœam, quod grauida XIV. hebdoma-

dum

dum experiebatur ante aliquot annos. Longe magis vero corpus, & maxime pedes, expositum aeri frigido tunc temporis, tum tormina, tum hypercatharsin experitur non difficulter. Vt enim pedes calent, ita totum corpus.

Idem a CIBIS varii generis, diæta illo die minus curata, accidit: cumprimis oleribus ipsis, & longe magis fructibus æstiuis illo die comestis, purgationes in hypercatharsin facile præcipitantur. Quidam bene operatione laxatiua defunctus, cum vesperi acetario ex lactuca vesceretur, incidebat in eandem satis cumulatam. Imo omnes errores diætæ eandem facile inducunt: idem enim de fungis, vuis, cereuisia feculenta, iuniori, aliisque vel vulgo patet, & innotuit.

Vt a quiete & sedentaria mora sufflaminatur purgantium actiuitas, ita contra ea a MOTV tum promouetur ordinarie & salutariter, moderato illo & a medico suaso prudenter, tum exacerbatur. Duo contubernales vno die assumebant purgans: vnus id faciebat cum aceto, loco vehiculi, & vacabat in museo ordinariis studiis, indeque ne semel quidem purgabatur, frustraneo plane & irrito actu. Alter assumpto decenter medicamento sus & de per scalas ascendebat & descendebat, indeque ad viginti fere sedes purgabatur, vt medicum implorare cogeretur auxilium.

Idem de ANIMI AFFECTIBVS in vtrumque extremum valet. Quidam assumpto purgante a coniuge ad iram commotus adeo exercebatur cumulatis sedibus, vt ad incitas fere redactus videretur, medici ope vix liberatus.

Tacemus præuaricationes alias, seu per balnea, seu per fumum tabaci, potum Theæ ipsum, & similia, ne dicamus

aliquos a ſolo viſo aſſumpto purgante citatos ad plures exonerationes alui.

Hic vero locus eſt ſeorſim de aſſumptis purgantibus ipſis quoque agere, hæc enim alteram quaſi cauſarum partem & claſſem abſoluunt, vtpote agens alteri patienti corpori quaſi correlatum. Sane varietas ipſa purgantium hic tangenda eſt. Ordinarie ſic accuſanda ἰσχυρὰ dicta *Hippocrati*, δραστικὰ, μοχλικὰ, *fortiora*, debilibus ſeu lenitiuis oppoſita, hypercatharſin citare inprimis apta nata, helleborata, colocynthiaca, eſulina; ex vomitoriis aſarina, antimoniata, vitrum antimonii, mercurius vitæ, tartarus emeticus toto die id in praxi exhibent, maxime data in ſubſtantia, qualia triſtia exempla de ſingulis quaſi hinc inde extant, quæ hic congerere & laudare latius non attinet, tanquam notiſſima. Idem de aliis dixerimus ſimilibus, ſemine ricini vulgaris & Americani, quorſum & grana tilli vulgo dicta pertinent, ſemine cataputiæ, & aliis.

Aſt, ſi ab his diſceſſerimus, quaſi ſua natura magis talibus, violentioribus, a quibus non, vt decet, propinatis, frequentius id contingit, non raro & ipſa mediocria, & alioqui benigniora & tutiora, idem nihilominus non infrequens fatum ſeu inferunt, ſeu experiuntur. Valet id de gialapa, ſcammonio & quotidianis aliis, a quibus tamen id ſua natura non facile timendum eſt, niſi in doſi peccetur, nam & hæc vel ſola ſæpe crimen ſubit, vel culpam ſuſtinet.

Nihilominus vero, & ipſomet corporis denuo conſiderato reſpectu, etiam a minori doſi fortior ſæpe operatio conſurgit, vnde primi generis illa velut primario hypercatharſin intendunt quaſi, vel ordinarie magis cauſant, leniora adæquate & velut extraordinarie magis.

Ita

Ita aſſertum egregium eſt *Coi*, medicamenta fortia, purgantia puta, debilibus data, cedere in hypercatharſin. Ipſe idem hoc nomine laudat & expreſſis verbis nominat hodie electiue dicta purgantia, ſeu cholagoga, phlegmagoga, melanagoga, horragoga. Mirandum eſt, viros non infimi nominis, ſed clariſſimos, negare Hippocraticam eſſe hanc theſin ſummo errore, & prodita lectionis eiusdem ignorantia, quandoquidem plus vice ſimplici illa ipſa nominat, repetit, inculcat, quæ loca inpræſentiarum laudare ſuperuacaneum ducimus.

Illuſtrat idem & hoc exemplo ipſo, cholagoga verbi gratia primo & primario biliofa educere, hinc reliqua ad ſanguinem vsque demum, & perinde etiam fieri in aliis, quo de eleganti loco vnico, inſtar omnium aliorum, videri poteſt *l. de natur. hum. c. 10. per tot.*

Quod ſi tamen ſpecialia exempla conquirere placeat, vel vacet, a quibus hypercatharſis ſuborta fuerit obſeruata, vix vnum exemptum erit, ſi non ſua natura, ſeu aſſumpti, tamen ſubiecti reatu, ſeu aſſumentis, talem produxiſſe. Rhabarbari ſumma laus eſt apud omnes quaſi, ſeorſim apud *Gliſſonium l. de rachitide c. 32. p. 384.* quod rariſſime (modo iuſta doſi exhibeatur) ſuperpurgationem inuehat, medicamentum profecto omni ætati & complexioni, vt vocat, ſatis tutum; & idem tamen in illo numero eſt ponendum, per experientiam laudatam.

Idem de manna obſeruatum eſt, alias benigniſſimo medicamento. Notabilis hinc locus eſt *Lindenii Exerc 17. de circuitu ſanguinis coroll. 10. & 11:* Medicamenti doſin purgando, non ſua virtute æſtimare oportet. Nonnullos quippe exiguam rhabarbari cum manna infuſum in hyper-

catharſin ducit, cum alii ab euphorbii, ignei medicamenti, ſemiſcrupulo vix bis egerant.

Imo ipſis quoque foliis ſennæ id accidit, longe magis vero ab aſari foliorum puluerisatorum cochleari aſſumpto, in viro quadrato, intra triduum hypercatharſis lethalis. Non dicemus de turpetho, de granis tilli dictis, de mercurio vitæ, tartaro emetico & aliis notis, quæ toto die occurrunt. Verbo quæ purgare apta nata ſunt, illa omnia & ſingula, media & fortiora præſertim, etiam hypercatharſin excitare queunt.

Rarius paulo a clyſteribus id videas, & illud tamen notatum quoque, a non adeo forti conſecutum. Sin alia minus olim frequentata cogitemus, pertinet huc & ipecacuanha, benignum & ſalutare emeticum, & tantum non antimoniatis ipſis contra æſtimandum, quæ ad gr. XII. data in virgine XX. annorum ætatis ſeptem vomitus & quinque ſedes operata eſt, quod alias non ſolet, vt ſiſti deberet.

Memorari hic poteſt obſeruatio *Strobelbergeri*, quæ extat *Deſcript. Galliæ Politic. Medic. p. 191.* vbi: Circa Maſſileam, *ſcribit*, plurima fruticat planta ætati noſtræ noua, adſpectu mirabilis Tartonaire Maſſilienſibus dicta, effreni & ad ſanguinem vsque purgandi vi pollens. Addit: Nos dum Maſſileæ eſſemus, mercatorem quendam Malthenſem ab empirico quodam temerario plantæ huius inconſiderata exhibitione interfectum vidimus. De hac thymelæa, foliis candicantibus ſerici inſtar mollibus, videri poteſt *C. Bauhinus in Pinace*, & ibidem citatus *Lobelius*.

Purgantia ergo *ἄνω καὶ κάτω* hunc cenſum, reatum & cauſam hypercatharſeos *ἐκ τῶν φαρμακίων*, ex medicamentis, vt recte diſtinguit *Hippocrates* ipſe, ſola proprie

ſubeunt

ſubeunt, per ſe talia, quamuis magis directa ſaltim, vel culpoſa, empiricorum, vel indirecta & plane innocua medicorum aliorum adhibitione. Penitus vero, & reuera alio ſenſu, per accidens referri huc merentur & alia, tantum abeſt vt purgantia, vt potius iisdem adeoque & hypercatharſi plane contraria, & toto cœlo contradiſtincta. Talia ſunt partim indifferentia omnino, vt nitroſa, deterſiua, quæ ſalino ſtimulo pollent, vel alcalina, vt antimoniata, ne terram nitri dulcem, & ſal catharticum laudemus, quæ rariſſime exceſſu hoc peccant, partim plane contraria. Ita a puluere ſtyptico, a puluere bezoardico, imo ab opiatis, vt extracto ſeu laudano opiato, purgati inſigniter viſi ſunt, quo de vid. & *Rolfincius Chimia l. 3. ſ. 3. c. 6. p. 247.* A pilulis de cynogloſſa idem notatum videri poteſt apud *Pechlinum l. 3. obſ. 13.*

Hæc vt accidentaria & æquiuoca quaſi eſt operatio, ita ad laudata iam addi poteſt tum ſiniſtra præparatio, tum improuida adhibitio. Ad illam in exempli vicem laudari poteſt ſcammonium ſulphuratum, ceu impuris ſordibus non orbatum, vnde tormina & hypercatharſis facilior conſurgere poteſt. Quid notius eſt, quam mercurii dulcis præparatio incongrua, cum ipſisſima corroſiuitas nullam dulcedinem reſipit, ſed acrimoniam venenoſam non ablatam, vnde non vnis exemplis mortes fuere illatæ loco ſanitatis? Quin per errorem omnimodum ipſe mercurius ſublimatus, loco dulcis propinatus, ædituum internecioni dedit, ad ipſam procidentiam ſphinctere ani ſimul coacto & extrauerſo. Sed his immorari non attinet.

Addi vero & illud poteſt, vel repeti, quoad adhibendi modum hæc talia, vt vitrum antimonii, vel alio nomi-

ne crocum metallorum, in substantia datum, longe vehementius & atrocius operari, quam in infuso, vnde primitus, prius, quam cautiores redditi essent chimici, hoc ipso pacto plures infauste periere, quod & ab aliis inexpertis contigit non semel.

Non minus & ipsæ CAVSÆ PRÆTERNATVRALES ad hypercatharsin inferendam concurrunt. Ita notum est in phthisicis, vbi acidum, acre, biliosum serosum exuperat, facillime exacui bilem, vt a senæ ℈ß. illa acciderit; siquidem & in illis per se diarrhœa accidens, cum tumore œdematoso pedum inprimis, res desperata in via est, accedente leui stimulo mox turbatio & irritatio consurgit maior.

In hypochondriacis, vbi similis commatis status præsto est, idem fit: vti contra ea, vbi acidum austerum, frigidus & siccus intestinorum modus, alui adstrictio potius negotium facessit, & purgantia minus facile operantur, etiam fortiora ipsa sæpe.

Præcipue illud eminet quoque in febribus malignis, si purgans fortius paulo, vt toto die fit, ab empiricis, vel ignaris aliis, propinetur, acrimonia bilis accessione huius stimuli exuperat, prompte exacuitur & fortius exitum accelerat, vnde & hypercatharsis, & ob seri, tanquam freni bilis, maiorem euacuationem, periculum vitæ maius promouetur.

Dantur & alii casus consimiles, quos ad ἀτυχίαν refert *diuinus Senex*, quando eadem hypercatharsis ex accidenti & inopinato aduocatur quasi, & vitæ periculum. Sic cum epidemium in morem grassaretur dysenteria, propinatur a iuniore medico bona opinione vel intentione,

cui-

cuidam iuueni puluis purgans. Ab aſſumpto hoc mox eodem die cum torminibus non tam hypercatharſis ordinaria, quam ipſa dyſenteria operatione continuata incipit, & per dies aliquot fortiter inſtans nec deſinens, generoſis quibusuis remediis contra, ad mortem prius ſanum excruciat.

CAPVT III.

De
Signis & conſequentibus hypercatharſeos.

SEd addendæ etiam noxæ ſpeciales ab hypercatharſi euenientes, tanquam phænomena ἐπιγιγνόμενα, *ſuperuenientia*. Generale & præcipuum eſt ab ipſo *Coo* notatum ὑπερνοσεῖν, quando quis a ſumpto medicamento purgante *ſuperægrotat*, male habet, & velut a morbo corripitur, alioqui etiam tali non affectus.

Affines id illuſtrant morbi & ſymptomata, velut exemplaria, v. g. cholera, quando ἄνω καὶ κάτω, *ſus & de*, idque citra intentionem, vndecunque tandem acciderit, quod longe grauius eſt; tale enim additum tali, etiam latius, euacuatio vna alteri, reddit illud magis tale. Similis item eſt diarrhœa, datur enim & hypercatharſis minus dolorifica ſæpe, ſed ſolam quaſi frequentiam deiectionum penes ſe habet. Maioris vero itidem gradus id exprimunt dyſenteriæ ad inſtar tormina ventris, inprimis a δραστικωτέροις, helleboro, colocynthide. Singulis communis eſt virium debilitas & abſumptio.

Pertinet huc ipſe cruoris ſeceſſus, quando feces cruentæ ſimul excernuntur. Hoc ipſum tamen cum grano ſalis eſt intelligendum, oriundum quippe non tam a leui *ἀναστομώσει*, quod & in pueris aliquando videas, nec a reſeratis hæmorrhoidibus in alias adſuetis, vel citra dolores & alia communia, quod tanti non eſt, neque æque terrorem debet incutere, vt ignaris videtur; ſed ab acrimonia & roſione maiori, vt in dyſenteria euenit quoque.

Notabilis præ aliis eſt ſingultus, a *κενώσει* euacuatione nimia ortus, & hic ipſe merito a *Coo* malus pronunciatur tam ſolus, quam conuulſio quoque, quæ duo iamdum ſunt affinia. Locus eſt *5. aphor. 4.* *ἐπὶ ὑπερκαθάρσει, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος κακόν*, *ab hypercatharſi*, i. e. purgatione immodica *ſingultus aut conulſio malum.*

Hic vero addi meretur, eſſe id commune cum alia etiam quauis *ὑπερκρίσει*, vt vomitu, hæmorrhagia; non minus vero cum aliis purgantibus, vti a gialapa quoque conuulſio obſeruata eſt eodem die non mortifera; inprimis vero helleboro, *5. aphor. 9.* & albo quidem ſeorſim, ab eo intellecto, quod vtrumque *l. de hellebori vſu, in Coacis*, & alibi repetit: *ἐπὶ ἐλλεβόρου σπασμὸς ὀλέθριος*, *ab helleboro conuulſio mortifera;* & maxime ſenibus, *7. aphoriſm. 41.* *ἢν ὑπερκαθαιρομένων τῶν πρεσβυτέρων λὺγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν*, *ſi ſenibus ſupra modum purgatis ſingultus accidat, non bonum;* puta ad regulam aphoriſmorum, *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ*, *vtplurimum,* & niſi mature contra eatur.

Et quidem, quod *Galenus in Commentario* addit, duplici nomine, & in genere, & quod ſenioribus omnia mala peiora fiunt, propter ætatis imbecillitatem. Confirmat idem neruoſa ſententia *Celſus l. 2. c. 12.* Aluus ſi vehementius

tius fluit, aut sæpius ducitur, hominem infirmat, neglecta. Imo periculum vitæ infert, maxime si extremorum frigus accedat, quod in *Coacis* additur: Ἐπὶ πάσῃ καθάρσει πλεοναζούσῃ ψύξις μεθ' ἱδρῶτος ὀλέθριος. *Si excedenti cuiuis purgationi frigus accedat, cum sudore, funestum.*

Non vero æque absolute ad sanguinem vsque extrema fit effusio, quod alibi notat quoque *Hippocrates*, sed ipsa hæc sufficiunt, & ἔκλυσις μετὰ τοιούτων, *exolutio cum talibus*. Grauiter *Duretus*, sed paulo durius ad *l. c.* præter alia: est igitur, *inquit*, sæpe mortifera hypercatharsis conuellendo & exoluendo, vt centies ipsi vidimus ex antimonio spagyritarum, quorum est omnis pestifera medicina. Æque enim a quouis Galenico purgante id accidere potest, improuide adhibito, quam chimico.

Cæterum & alia mala, præter ipsum interitum, inde notata sunt. In fœmina ab hypercatharsi emetici oriundus tumor strumosus in collo visus. Alia sutoris coniux XL. annorum a purgante empirici assumpto fortius purgata noctu horruit, cum titillatu totius corporis, subsequa hemiplexia, cum distorsione oris, & spuma ante os, a quo casu & menses emanserant; curabatur tamen post tres menses. Dysenteriam inde ortam videri potest relatum apud *Binningerum cent. 1. obs. 83.* maciem apud *Borellum l. 2. obs. 64.* mortem ipsam *ibid. l. 2. obs. 45.*

Vtut vero tum in robustioribus, tum maxime mature datis remediis congruis euasisse obseruati sint sæpius etiam ad LXXX. & plures sedes purgati, vt MDCCXII. rusticus ἄνω & κάτω ad sanguinem vsque, si vera relata sunt, in tertium diem ad ducentas vices; non raro tamen mors insequitur, quale exemplum *Cous* ipse habet *l. 5. Epidem. c.*

 16. t. 11.

16. t. 11. Quidam homo Eubœus poto pharmaco deorſum purgante (ἐλατήριον dicitur in textu Græco,) per tres dies purgabatur, & mortuus eſt.

CAPVT IV.

De Curatione.

REbus ita ſe habentibus circa hypercatharſin, omnino non minus ac in vllo morbo, cauſa morbifica & ſymptomate vrgente cauto opus eſt. Enimuero, quod apud *Galenum*, & omnes medicos in confeſſo eſt, ſanguinem vena ſecta effluentem, in noſtra poteſtate eſt, pro lubitu quaſi inhibere, medicamenti vero purgantis aſſumpti vim & continuitatem coercere non in noſtro eſt arbitrio.

Conſultum itaque, imo neceſſarium eſt, etiam in hoc caſu ex METHODI MEDENDI legibus vtiliter diſpicere, ne quid detrimenti patiatur œconomia corporis. Adeoque vix melius illud æſtimari poteſt, quam ſecundum medium terminum illum agendorum, INDICATIONES debitas, PRÆSERVATORIAM, CVRATORIAM, & VITALEM.

Nullum rectius hodegetam etiam in hoc caſu ſequi poſſumus, quam *diuinum ſenem.* Locus elegantiſſimus eſt *l. de purgantibus c. 3. toto*, qui libellus aureus præcipue huc pertinet. Pro noſtro ſcopo ſaltim, cum verſemur inpræſentiarum in praxi clinica, ad huius & Hippocraticum quidem modum ac præcepta expreſſa: ſi purgandus quis occurrat, ſiue deorſum, ſiue ſurſum, ἐπερωτᾶν ἀυτὸν χρὴ, *interrogare ipſum oportet:* an alias purgatus iam ſit, an facile, an difficulter mobilis fuerit; vnde facile patet, an

debi-

debiliori, seu leniori, an fortiori, an medio opus habeat, quod & in vomitoriis dandis obseruandum est.

Sin minus alterutro vsus fuerit, vlterius ἐγνωκέναι χρὴ, *cognoscere*, inquirere, *oportet*, quomodo in statu ordinario ad assumpta se habeat, & quomodo aluus responderit hactenus. Hæc omnia, *inquit*, *interrogare oportet*, quo recte consulere possis. Turpis enim est calamitas, medicamento purgante dato, hominem occidere. Seu æstimandum probe id est a medico prius, quam ordinet, vel exhibeat, ne tuendæ sanitati & seruandæ vitæ debitum remedium eidem perdendæ cedat, & consulatur temere.

Tacemus, quæ hoc loco alia possint in æstimium hoc seu τέκμαρσιν cedere, vti sunt, qui pedes longos, alii, qui suras exiles & tenuiores facilius mobile corpus arguere scribunt; nec id immerito, quod ad rariorem texturam spectent; omnia tamen illa a posteriori magis æstimanda.

Cumque & hæc aliaque nihilominus probe examinata deflectere a scopo queant, vlterius commendandum sollicite est ab assumpto purgante regimen, ne aeri frigido se exponat, vel in diæta quemcunque errorem committat, quo de superius satis dictum est inter causas. Maxime vero, ne æstimentur purgantia numero excretionum & copia, neue negligatur quippiam, sed vel numero indicto, vel εὐφορία & δυσφορία præcautiones necessariæ fiant. Nullibi enim turpe magis est dicere vt imperatori, ita & medico, quam vbi ex leui errato maximum malum timendum est: Non putaram! Id omne hoc pacto præcaueri potest, explorata ægri & cognita medicamenti natura, morbo item, & reliquis circumstantiis necessariis.

Quod ſi vero nihilominus, omnibus lege artis probe obſeruatis, ſecus fiat, & hypercatharſis eueniat, etiam in hunc caſum dabilem præmoneri poteſt, qui purgans aſſumpſit, vel præmuniri potius, inprimis circa vomitoria, & quidem magis extra vrbem degente ægro vel patiente, vt in illum caſum etiam ſtatim ad manus præſto ſit antidotum, vt illo termino hic vtamur quoque.

Et hæc iam altera eſt indicatio CVRATORIA; hypercatharſis enim vere talis ſiſtenda eſt, cui ſtatim ſubiungi poteſt tertia, VITALIS, & SYMPTOMATIS VRGENTIS, ſeu virium omni modo conſeruandarum ratio habenda, & vitæ adeo ipſius periculum auertendum, accurata diæta & medicamentis.

Quamobrem, argumento *4. aphoriſm. 14.* & *15.* ſomnus & quies corporis cordi habenda & imperanda, idque in loco calido, concluſo lecto, calefacto conclaui; animo ab omni affectu ſiniſtro & fortiori libero, quæ vel ſola in principio, & leuiori gradu, nonnunquam vim vlteriorem ſuſpendunt; fotu vmbilici, vel operculo ollæ calido, vel lapidis ſerpentini admoto accedente.

Inter remedia vero pharmaceutica non conueniunt reuellentia, vt ſi quis velit largius operante purgante *κάτω*, vomitum præcipere, alia enim hic eſt ratio, vbi ab euacuatione nimia id accidit, quam turgente nec dum euacuata materia ſatis. Eadem vero locum obtinent, quæ in cholera, in qua *Cous* ipſe præcipit, eadem danda, qualia purgatis *l. de affect. c. 28. t. 4.*

Indicata ſpecifica ſunt ſtomachica, aromatica, adſtringentia, anodyna, theriacalia. Sic facit huc *aqua menthæ, cinamomi, ſpiritus theriacalis, puluis ſtypticus, cryſtallus mi-*

ne-

neralis, *essentia anodyna*, *extractum anodynum*, *puluis anodynus*, *theriaca Andromachi*, eiusque *essentia* balsamica, simul confortans egregium, & hæc tum per se, tum complete & perfecte magis, inter se mixta.

Theriaca sane instar omnium est & probatissima, non modo quotidiana, sed & omnium seculorum experientia. Inter alia enim experimentum egregium, & bonitatis quidem eiusdem, iam olim præcipuum memoratum *Galeno, l. de ther. ad Pison. c. 2.* Data prius theriaca postmodum exhibemus medicinam aluum subducentem: ac si qui assumpsit, non purgatur, optimam iudicamus antidotum fuisse, cum purgare prohibuit eum, qui purgantem medicinam assumpserat. Atque hæc, *addit*, probatio nunquam nos fefellit. Confirmat id ipsum specialius, nominato scammonio, helleboro, vel quouis alio etiam valentiori, ad vomendum vel purgandum exhibito. *l. de vsu eiusd. ad Pamphilium.*

Opium ergo & seorsim, & cum aliis etiam, huic fluxui optimum præbet remedium. Elegans de hoc locus est apud *Angel. Salam*, *Ternar. laudanor. p. 615.* Post purgationem hypercatharsi affectis, quorum plurimos in extremum vitæ periculum præcipitatos nouimus, laudanum bis terue cum vino rubro datur, donec omnia fuerint quieta.

Quidam summopere laudant *lapidem pumicis* puluerisatum, cuius ʒi cum *aqua tormentil. fol. querc. plantag.* cum *sir. cydon. rib. corall.* propinatum cum successu, & encomio pumicis in hoc malo, vid. *Decad. I. Ephemer. German. Ann. III. Obs. 303. p. 526.*

EXTERIVS quoque commode applicantur vnguentum

ex

ex *oleo nucistæ expresso* & *destillato*, aliisque cum & fine *theriaca* laudata mixto, *emplastrum de crusta panis*, *de bacc. laur. diaphœnic. cal.* & similia. Tacemus olea & sacculos paregoricos, stomachicos, roborantes, aliaque in diarrhœa & dysenteria proficua.

Nonnulli & *Clysteres* adhibent ex *rad. symph. tormentill. herb. agrim. plantag. centinod. fl. verbasc. rosar. rubr. pap. rhœad. chamom. hord. mund. sem. plantag. hyperic.* Vid. *Eph. Germ. loc. cit.* id quod inprimis, si a veneno, vel cum erosione intestinorum acrimonia coniuncta demulcenda sit, non incongruum, ne theriacam cum lacte mixtam laudemus quoque.

Indos hypercatharsin sistere *pipere* puluerisato parum, humectando & infricando vmbilicum, refert *Baldæus Descript. Malabar. c. 5. p. 421.* Reliqua vel plura huc referenda apud alios repeti queunt; satis est, nos potiora delibasse.

Studio hactenus nondum mentionem expressam fecimus DIFFERENTIARVM, quarum recensio alias in morbis, eorumque capitibus tractari solet quoque;

Ne vero quid in hoc desiderari possit, facile erit, vel tacentibus nobis, ex ipsa relatione causarum, generis, & præcipue graduum, aliorumque dictorum eas arbitrari, si quidem sponte sua quasi exinde fluunt, vel erui queunt, adeoque vlteriori enarrationi earundem supersedemus.

SOLI DEO GLORIA.